



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 101. Ducissa non sine lætitia in Sabaudiam redux

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV.
A.C. 1476.

§. CI.

*Ducissa non sine lætitia in Sabaudiam
redux.*

Carolus de Ambasia demandata sibi provincia tanta dexteritate perfungebatur, ut Ducissam nullo ferme negotio libertati redderet. Hoc prospero rerum successu Ludovicus XI. admodum lætus, datis literis Sorori suæ significat, ut eum quantocius apud Turones conveniret, ipse vero præmissis Procerum quamplurimis eidem usque ad portam Pleffiaci prope Turones obviam procedit, illam excepturus. Equidem Rex animo constitnerat, se nihil, quod adventantem Ducissam offenderet, dicturum, nec tamen adeo sibi imperare poterat, quin prima salutationis officia deferens, eam his verbis leviter perstringeret: *Burgundia Ducissa, salvare te jubeo.* Illa facetam Regis cavillationem probe intelligens reposuit: „Natione & animo Gal-
„ la sum, ad cuncta Regis mandata
„ prompte exequenda omnium paratissi-
„ ma. „ Dein nonnisi septimum aut octavum diem Pleffiaci diversata, suppeditatis a Rege sumptibus itineri sese accinxit, erecto prius foederis instrumento, cujus duo apographa utrique parti tradita fuere. His pactis sancitum, quod
Rex

*Pleffis les-
Tours.*

*Commin. l. 4.
v. 4*

Rex liberos, ac Cambriensem, & Mon-Sæcul. XV.
 melianensem arces Ducissæ restitueret, A.C. 1476.
 eidemque denuo plenæ administrationis
 auctoritatem assereret. Rebus ita com-
 positis Ducissa voti compos facta, lætan-
 ti animo in Sabaudiam redibat, ac con-
 stanti deinceps amicitia vinculo Ludo-
 vico Regi juncta, pactum cum eo initum
 inviolabili religione coluit.

§. CII.

*Adversa Burgundiæ Ducis
valetudo.*

Ceterum reapse Burgundus Campaniæ
 Gubernatoris facinus haud quaquam
 inultum reliquisset, nisi aliud gravioris
 momenti negotium exercitus sui reli-
 quias aliorum avocasset; Lotharingus
 enim copias suas Nancejensi urbi admo-
 vebat. Erat illa mille ducentorum præ-
 sidio munita, quos inter sub Duce Co-
 chino, & urbis Gubernatore Bieverio tre-
 centi erant natione Angli. Jamjam
 Lotharingiæ Ducis milites quadragesi-
 mum omnino diem in urbis obsidione hæ-
 rebant, & quamvis lento admodum pro-
 gressu mœnibus appropinquarent, nihi-
 lominus obsessi efflictim Burgundiæ Du-
 cem rogabant, ut civitatem ab hoste li-
 beraret. Ast iniquissimo eorum tempo-
 re Burgundus tum atræ bilis vehemen-

Bievers